









167  
ECCLESIA ET ACADEMIA LIPSIENSIS  
Lutherano-Evangelica;

*Hoc est,*

ORATIO SECV

L A R I S

IN JUBILÆO ECCLESIAE ET ACADEMIAE LIPSIENSIS

In DEI gloriosissimi laudem & honorem, inq; memoriam admirandæ utriusq; liberationis è regno Pontificio ante seculum, Anno 1539 ipso die Pentecostes, qui 25 Maji fuit, cœlitus donatæ, restauratæq; ibidem purioris doctrinæ Evangelicæ,

*habita & dicta*

IN TEMPLO PAULINO ACADEMICO,

*Ipsa die Pentecostes, qui erat 2 Junii,*

ANNO

CLC. LCC. XXXIX.

à

L. ANANIA WEBERO, SS. Theol.

Professore publico & Ecclesiaste ad  
D. Thomæ.

~~~~~

L I P S I Æ,

Apud Hered. JOH. FRANCI & SAM. SCHEIBIUM.

excusa per TIMOTHEUM RITZSCHUM.

19 4,17  
20 4,17  
m.c





PERQVAM REVERENDO, GENEROSIS,  
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS ac maximè STRE-  
NUIS DOMINIS

Dn. HEINRICO à Friesen in Rō-  
thaw Hæreditario, Consilii sanctioris, in Illustrissimâ Ele-  
ctoris Saxoniz Aulâ, Judiciiq; supremi Appellationum Præsidi emi-  
nentissimo, Capituli Martisburgensis Præposito splendidissimo, &  
Rochlicensis, Coldicensis, Bornensis, ac Leüsnicensis Diocæses  
Capitano spectatissimo, atq; supremi ærarii Provincialis  
Præfecto præclarissimo, &c.

Nec. non


Dn. FRIDERICO METZSCH, in  
Reichenbach & Friesen Hæreditario, serenissimo Domino  
ELECTORI SAXONIÆ Consiliario Intimo, & Con-  
sistorii supremi, quod Dresdæ est, Præsidi emi-  
nentissimo, &c.

DOMINIS & PATRONIS meis Maximis &  
*aviternum suspiciendis,*

In gratæ mentis tesseram & studiorum meo-  
rum ulteriorem commendationem  
SERMONEM HUNC JUBILÆUM

*libo consecroq;*

L. ANANIAS Weber/SS, Theol. Profess.  
public. & ad D. Thomæ Ecclesiastes.



D



ri Dign  
pruden  
lentes;  
Omne  
ratissim  
secula  
bila &  
omni  
niflu  
camp  
unda  
gustia  
cund  
lucul  
V  
matu  
Dica



DEO OPTIMO MAXIMO  
A U T O R E.



*Enite, exultemus DOMINO, jubilemus DEO salutari nostro: praecipemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei.* Psalm. 95. v. 1. & 2.

Liceat mihi, *Rector Magnifice, Patres Academiae conscripti, Viri Stemmata ac virtute heroicâ, per-verendâ Amplitudine, Consulari Dignitate, Justitiae splendore, Hygæa claritate, Sophia, doctrinâ, prudentiâ & rerum usu ac meritis in omnem Hierarchiam Praecellentes; Tuq; literariae Juventutis flos nobilissime & ornatissime; Omnesq; veritati Lutherano-Evangelicæ addicti auditores honoratissimi;* Liceat, inquam, mihi hodiernam festivitatem secularem & jubilæam verbis hisce *Hiero-Psaltæ* mera júbila & gaudia exposcentibus ordiri. Cum enim Bonis omnibus semper ob fontem benignitatis divinæ perennifluum ad sacrosancti Nominis J E H O V A laudes se campus aperiat: Attamen tum præcipuè se non capit exundantis lætitiæ magnitudo, sed dedignata pectoris angustias, ita multa & candida foris prominet, & ubiq; facundiam habet ancillantem, cum singularia maximeq; luculenta coelestis munificentiae exempla erumpunt.

Verè enim dixit *Ennodius: Facilius est ignem in pyras animatum lingua comprimere, quàm silentium inter optata servare.* Dicam & ipse, quod res est, & hodierna festivitas flagitat.

A 2

Præ

20

417

m.c



Præ reliquis singulari gratiâ & divinæ clementiæ largitate fortunatus est hodiernus dies, quo tot mundo dona data, tot Ecclesiis scholisq; & imprimis huic nostræ Lipsiensi cùm Ecclesiæ tum Academia bona nata sunt. Fas itaq; & justum est, piorum sensus intimiùs commoveri, lingvas in plausus divinæ Majestatis erumpere, in cantus barbyton excitari, & nablia lyrasq; blandè expediri.

*Verè dies hic hodiernus est munificus.* Quia post missionem filii DEUS hodiè maximum illiq; proximum suæ erga nos bonitatis exhibuit argumentum, dono immenso, dono sibi æquali, & quo majus dare non potuit nos coelitus munerans. Undè *κατ' ἐφοχὺν* Ambrosius & Paschasius Spiritum sanctum munus & donum appellaverunt. O donum supra donum! O dignationem nullo hominis adfectu exprimendam! Non satis erat DEO, dare filium ad redemptionem, gratiam omnem effundit, dum donat Spiritum S. ad filialem adoptionem. Instar piæ matris coelestis Pater gemina nobis præbere voluit ubera, filii gratiam & Spiritus sanctissimi efficaciam, suam imaginem filium, suum amorem Spiritum sanctum. Quasi certare hîc videntur coelum & terra. E terra Christus ascendit; è coelo Spiritus S. descendit, Coelum Christus vix ingressus erat, & in terram Spiritus S. effunditur. O quæ lingua beneficio huic edisserendo par esse poterit?

Ambros. in  
symb. Apost.  
Paschas. in lib.  
de Corpore &  
Sanguine Do-  
mini,

Psal. 95. v. 1.  
& 2.

*Eia igitur venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro; Praoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei.*

Lev. 25. v. 8.  
Num. ult. v. 4.

*Verè dies hic hodiernus jubileus est toti Ecclesiæ Evangelicus!* Apud Hebræos annus quotusquisq; quinquagesimus jubileus & sanctus erat, ac magnâ cum lætitiâ decimo die mensis septimi tubæ clangore & sonitu omnia viarum compita urbesq; perstreperente solenniter indicebatur, omnia-



omniaq̄ve ad pristinam libertatis, possessionis & fami-  
liæ statum gratis redibant, nec erat ullus usucapioni ac  
præscriptioni locus. En typum *universalis Jubilæi* die  
post resurrectionem *Joëlis* nostri quinquagesimo, ipso die  
*Pentecostes Spiritus S.* super Apostolos & discipulos *J E S U*  
effusi, efficacia & ministerio illorum peragendi! Tunc e-  
nim buccina Evangelii Hierosolymis tubicine Aposto-  
lorum & Discipulorum Christi choro clangere cœpit, &  
sonitus ejus diffusus est ab oriente ad occidentem, à mari  
usq; ad fines terræ. *In omnem terram exiit sonus eorum,* & Rom. 10, 18.  
*verba illorum in fines orbis terrarum. Ubiq; vox sonuit in compi-* E saiz 61, v. 1.  
*tis prædicans captivis liberationem, ligatis solutionem, ægrotis sa-* & 2.  
*nationem, & annum Domini acceptum.* Hodie quatuor ani- Ezech. 1, v. 5.  
malia sancti Evangelista & præcones verbi currum Evangeli- 6, 7. & c.  
cum in totum orbem protraxerunt: Spiritus fuit in rotis Apoc. 4, v. 6.  
& impulit illas. Merces, quæ hîc vehitur, sunt munera 7. 8.  
cœlica, aurum gratiæ, obryzum remissionis peccatorum,  
gemma justitiæ, arca vitæ & salutis æternæ. *Eia igitur ve-* Psal. 95, v. 1, 2.  
*nite hodiè, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro; præ-*  
*occupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei.*

*Verè hodiernus dies Jubilæus est nostræ Lipsiæ inq; eâ Eccle-*  
*sia & Academia Lutherano-Evangelicus!* Seculum hodiè in  
orbem redit, quo centum ab hinc annis *D E U S* miseri-  
cordiæ cataractas super nos effudit, & autoritate ac jussu  
*Principis Christianissimi HEINRICI*, operâq; incompara-  
bilis Theologi *Dn. D. LUTHERI* & aliorum magni nominis  
*Virorum Papatum Romanum* ex hac urbe, & templis & audi-  
toriis publicis penitus eliminavit, fraudes, blasphemias,  
superstitionem & imposturas Bestiæ Romano-Babyloni-  
cæ abrogavit, faculâ verbi sui & orthodoxæ doctrinæ  
multorum suspiriis diu, & quamprimum in hisce oris ra-  
diare cœpit, quæ sita & expetita, reaccensâ. *O ingens be-*



*beneficium! O illustrem prae omnibus gratiam!* Tale hoc est beneficium, quod nullius ingenii opulentia, nullius discendi copia conveniente orationis ambitu exprimere potest. Talis est gratia, quae alia in universum omnia, quantum aeterna caduca, immortalia lubrica, divina humana, longissimè antevertit. Ad buccinam hanc Evangelicam in hac urbe publicè clangentem, verè ex squallido Capitolini Quæstoris carcere captivi dimissi, debitores gratuitâ peccatorû remissione condonati, exules in patriam & gremium Ecclesiæ recepti, & exactoris jugo confracto in veram libertatem sunt asserti. Et propterea non jubilemus? non tripudiamus? Non vota precesqve *Regi Regum & Domino Dominantium* litemus? Utriq; pietatis ratio, scripturæ sacræ monita, & celeusmata, piorum documēta & exempla, ipsumq; renascentis verbi & veritatis, quâ templa & auditoria nostra tam interna quàm externa felicissimis radiis irrigata sunt, illustre beneficium ad pia gaudia & gratitudinis thura quemq; piorum extimulant.

*Venite ergò exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: Praecipuemus faciem ejus in confessione & in Psalmis jubilemus ei.* Omnia, quæ in nobis sunt maxima minima, in laudem DEI nostri gloriosi diffluent. Exultent oculi nostri, quia non amplius idolorum inanias & impias Missas, sed *CHRISTI sacra & sacramenta* spectant. Exultent aures! Non Papæ decreta & humana commenta, sed illibatam *Evangelii* doctrinam percipiunt. Exultet lingua! Nam sine humanarum traditionum interventu gloriosæ *Triadi* laudes precesq; debitas persolvit. Exultent manus nostræ! Non amplius Bestiæ Apocalypticæ characterem suscipiunt, quin potius illibatæ ad Deum extenduntur. Exultent genua! coram Christo non Anti-Christo & idolis curvantur. Exultent pedes

no-



nostri! Non ad loca sacra, ad ossa, ad cineres aliasq; reli-  
quias trans maria & montes, sed in *via Domini* tuto ambu-  
lant. Exultet anima nostra & magnificet *Domini*, & ex-  
ultet spiritus noster in *Deo Salvatore nostro*, quia magnifice  
nobiscum egit potens ille, cuius nomē sanctum est, & cu-  
jus misericordia parata est timentibus eum. Paret sancta  
nostra *Ecclesia & universa concio Lipsica*, quæ præeunte *My-*  
*starum* fidelium voce pro restitutæ Religionis orthodoxæ  
*παλιγγενεσιæ* DEO grates persolvit & labiorum sacrificia  
incendit. Cui meritò alma nostra mater *Academia*, quæ &  
ipsa mox à barbarie scholastica & cœno pontificio vindi-  
cata fuit, vestigia jungit, & me indignum pii sui de ine-  
narrabilis hujus divini beneficii opimitate intus conce-  
pti gaudii, cordisq; & lingvæ eucharisticæ ac votivæ in-  
terpretem in hac solenni Panegyri constituit. Etsi verò  
nec loco huic amplissimo, nec Centenariæ lætitiæ solen-  
nissimæ, nec vestræ expectationi prolixæ satisfacere pos-  
sim, *Nixia* tamen *Pictoris effatum*, quo non minimam par-  
tem artis pingendi in eo sitam dicebat, ut res eligatur per-  
nicillo digna, quæq; spectantium oculis sit idonea, se-  
quar, & argumentum loco & tempōri conveniens & ve-  
stris auribus respondens, in medium adducam. *Lipsiam*  
*nempe Evangelicam*, dicam *Hierosolymam Apostolicam*, h. e. *Com-*  
*parabo jubar Evangelico-Lutheranum Lipsiæ hodierno die antè*  
*seculum exortum, & solennem reformationem Ecclesiæ & Acade-*  
*mia, cum miraculosâ & maximè mirandâ promulgatione Evan-*  
*gelii Ipso die Pentecostes Hierosolymis à Spiritu sancto factâ & ma-*  
*gnificè peractâ.* In hoc triumphabit & exultabit nostra o-  
ratio. Vos *Auditores ferventissimi*, quantâ accessistis fre-  
quentiâ, tantâ quoque humanitate & benivolentia ser-  
monis mei nullis pigmentis colorati, nullis lenociniis  
compti, nullisq; elegantia flosculis exornati cursum sub-  
levate, & mecum supplices orate:

Veni





*Veni sancte Spiritus,  
 Lucis tuæ radium,  
 Veni dator munerum,  
 Doce, illumina, & sanctifica nos, ut tibi grata nobisq; salutaria  
 dicamus, audiamus, faciamus, Amen!*

*Pfal. 68, v. 12.*



*Ic namq; sic prorsus est, & Auditores suavissimi,  
 quod omnis boni dator & diribitor DEUS cle-  
 mentissimus per os Propheta dixit, fore, ut ver-  
 bum magno cum exercitu evangelizantium  
 daturus sit: Illud certè decimo post ascensum*

*die (Judæi Pentecosten vocant) retrò mille sexcentis se-  
 ptem annis largè & abundè præstitit, quando*

*Spiritus sancti gratia, Apostolorum pectora  
 Replevit suâ gratiâ, Donans linguarum genera,  
 Misit per Mundi climata, Fari verbi potentiâ,  
 Ut prædicarent variis, Linguis omni creatura.*

*Quod stupendum & verè miraculosum universalis præ-  
 conii Evangelici initium sensu quidem proximo primiti-  
 vam Ecclesiam, & præconiatores ejus Apostolos in uni-  
 versum mundum ablegatos variisq; extra ordinem cha-  
 rismatibus exornatos concernit; Postcà tamen per quan-  
 dam anagogen & σύγκρισιν ad totius Evangelii prædica-  
 tionem, Ministeriiq; in Novo Testamento propagatio-  
 nem, & in primis etiam ad augustam illius apud nos in-  
 staurationem & verè miraculosè institutum orthodo-  
 xum primum præconium sat commodè referri & ac-  
 commodari potest.*

*1. Pars colla-  
 tionis fit secū-  
 dum tempus  
 utrobq; ante  
 eadens tristis-  
 simum, instans  
 verò & præsens  
 lætissimum.*

*Hanc autem meditationem initio svadet antecedentis tempo-  
 ris utrobq; tristissimi, presentis autem suavissimi, ratio & conve-  
 nientia. Primordia vera N.T. Ecclesie Johannes Baptista  
 Vir divini Spiritus sanctitate & zelo incomparabilis, ami-  
 cus & pararius Salvatoris jecerat, Christus ipse baptismo  
 in*



in Jordane suscepto ad Ministerium consecratus, cœleste  
semen spargere, & passim docere Evangelium, verbisq;ve  
& factis divinissimis, quis esset, declarare cœperat. At  
rabiebat mundus & novum (ut videbatur) dogma, & si-  
dereum illum veritatis splendorem insectabatur. Hero-  
des capite plectebat *Baptistam*, in *Messia* necem *Synedrium*,  
*malè-dominantium* conspirabat Hierosolymis, nec cessabat  
adversus salvatorem odio æstuarè, usq;ve dum cruce, sup-  
plicio illo teterrimo & quæsitissimo, ut Tacitus vocat,  
cum deletum & extinctum oculis usurparet. Actum jam  
videbatur cum rotâ Ecclesiâ recente, cœsus erat *Pastor*,  
*oves* dispersæ, triumphabant hostes servatoris & insulta-  
bant Christicolis: Ubi nunc Messias vester & Salvator?  
Nōne miserè extinctus jacet? Ubi sonora vox illius?  
Nōne evanuit? Ubi toties ab ipso promissum cœleste  
regnum? Nōne perit? Peragebant impii Judæi sacra  
sua publicè, & Pascha ac Pentecosten celebrabant: soli  
Discipuli *Jesu* ne hiscere quidem aut mussitare aude-  
bant; sed coenaculo in domo *Johannis Evangelistæ*, quæ sita  
fuit ad radices montis Sionis, si Nicephoro credimus, Libr. 2. Hist. Eccl. c. 4.  
veluti caveæ includebantur. At dum omnia conclama-  
ta videntur, exurgit *Dominator* & hostes dissipat; Resurgit  
*Salvator* & in cœlum adscendit dextram Dei occupans,  
missôq; *sacrato flamine* dona distribuit, & per universalem  
verbi prædicationem totius mundi repurgationem insti-  
tuit. Ac rei tantæ tamq; mirandæ in ipsis pentecostali-  
bus sacris, ad quæ ex peregrinis dissitisq;ve locis maxima  
populorum copia confluxerat, auspiciū facit, ut mira-  
culum divinum fieret conspectiūs citiūsq; divulgaretur,  
& fama *Apostolorum* accessum eorum, vivamq; vocem an-  
ticiparet, ac viam conversionis futuræ quodammodo  
sterneret.

B

Te nunc

20 4/7





Te nunc appello *Lipsiam*: Vos alloquor beatos einceres, qui ante seculum spiritum adhuc traxistis. Eloquar, an sicam vestras angustias & miserabile fatum, quo ante pure-putè renascentis verbi Dei auroram mitissimam involvebamini? *ὡς ἐν τῷ πῶ* ex monumentorum publicorū fide paucis aliquid repetam, & quoad summa fastigia tantum strictim exponam. Vix ope & auxilio summi *Numinis tertius Elias & Megalander Lutherus* noster Antichristi regnum aggressus erat, ac *Gigantem Lateranum* omnibus hactenus terribilem instar alterius *Davidis* sacrae paginae fundā conterruerat, idolomaniam & superstitionem papanam toti orbi Christiano exposuerat, & veræ doctrinae puritatem, detersâ errorum caligine, ex limpidissimis *Israëlis* fontibus in lucem revocaverat; mox veritatis iubar omnium fermè oculos perstringebat, & animos occupabat, aded, ut integræ *Regiones, Civitates, Principes, Reges* diabolicum superstitionis & superbi dominatus iugum bestiae Romano-papanæ excuterent, & spoliis illius onusti in triumphum irent. Sola *Misnia* & imprimis nostra *Lipsia* in his oris imperio *Ducis Saxoniae Georgii* subiecta, cui, referente *Fabricio*, imponebat mos majorum antiquior, dignitas & potentia Romana, ut *Luthero* & doctrinae Evangelicæ hostis esset infensor, fastuosum *Romani Va. Jovis* dominatum aspernari nequibat.

In originib.  
Sax. l. 7. p. 859

Legitur hæc  
disputatio To.  
I. Lat. Jenensi  
p. 242. & seq.  
& habita fuit  
Anno 1519. à  
4. die Julii ad  
14.  
Fabr. in orig.  
Sax. l. 7. p. 860

Dux quidem cupiditate incorruptæ & seriæ tantæ causæ cognitionis tenebatur. Undè famosa *Disputationi*, quæ à *Luthero & Johanne Majore ab Eck*, Professore *Ingolstadiensi* & nuncio Apostolico, homine, ut *Sleidanus* ait, temerario & calumniatore egregio, de *Primatu & potestate Papa, purgatorio ac indulgentiis Lipsia* fuit habita, etiam contra voluntatem *Præfulis Martisburgensis* non tantum locum concedebat, sed & ipsum colloquium sæpius-





piusculè auscultabat. Si non grave est ipsum *Lutherum* in literis ad *D. Georgium Spalatinum* hac de re ita loquentem percipite: *Omniū maximè, ait, laudandus est illustrissimus Princeps Dux Georgius, qui verè principali clementià & munificentià nihil omisit, quod ad felicissimum hujus Disputationis fructum facere possit, si talis fuisset, ut pura veritas posthabitâ gloriâ quæreretur. Deniq; & suâ splendidissimâ presentiâ id negotii dignatus est mirificè illustrare, omnia cavens & movens, ut modestè & quærendæ veritatis studio agerentur.* Verum enim verò non deerant, qui Ducem suum non tantum disputatione avertēbant, putantes veritatis testimonio aures ipsius foedari; sed & adversus orthodoxiam & confessores ejus ceu susurrōnes instigabant. Candor quidem veritatis multorum Lipsiensium cū antè, tū in primis in disputatione prædictâ oculos perstrinxerat. Nam feroculus *Disputator Eccius* meram scripturæ ruditatem, sophisticam garrulitatem & infamem Romanæ Thaidos turpitudinem revelavit, ad eò ut verè *Petrus Mosellanus* αὐτόωτος & αὐτόηοο ad *Bibliaidum Pirkammerum* scripserit: *Eccius clamore, vultu militari ac truci, gestu histrionico penè, & incessu impetuoso feroculus quispiam apparebat. Omnia illa externa signa corporis animum parum Theologicum declarabant; Dixisses Georgiam quempiam disputare, non Theologum, ad eò leviter & impudenter se jactabat, magnam ad eò jacturam nominis sui apud nos faciens. Levissimè asserit, quæ falsa sunt; impudentissimè negat, quæ pro certò vera, idq; cum jactatione sui, quò sit odiosior.* Sed (proh dolor!) rabiosa Erynnis & ipsa feritas papana, ut Evangelicam veritatem rursus ex animis piorum evelle- ret & eradicaret, magnâ sævitie, & tyrannicis insultibus in Confessores fideles assurgere. Parùm erat, de religione suspectos proscribi, exilio infami multari, bonis omnibus denudari, in carceres compingi, Academicos ad Episcopum ablegari; eò

Tom. 1. Lat.  
Ien. p. 294. b.

Stieda  
p. 132

Lib. Tom. I  
Ien. p. 294

vide Chronic.  
Lips. Anno  
1522.  
1524.  
1525. &c.

B 2

etiam

20 417





*etiam progrediebatur rabies, ut gladio carnificum aliquot subjecti fuerint.* Cumq; Anno 1530. publicum Religionis exercitium in pago vicino à quercubus denominato *Electori Saxonie* introduceret, ad quod cives posthabitis interdictis severissimis & capitalibus, Deo magis quam hominibus obediendum rati, excurrerunt, & cœnâ Dominicâ sub utraq; (ut vocant) usi sunt, inquisitio non ab similibus illi, quam hodiè dicunt Hispanicam, Superioribus accessit. Jubebantur enim Ecclesiarum ministri iis, qui tempore paschali de more veteri peccata confiterentur, & cœnam Domini juxta Pontificum Decreta perciperent, symbola quædam veluti tesseras distribuere, quas illi post senatui redderent, quò sciri posset, quinam Pontificum, qui verò Lutheri dogma sequerentur, in quæ suspectos gravissimè animadverti. Expulit hic rigor Anno 1532. *octoginta octo Patres familias cum familiâ & famulicio*, hoc est, *octingentas personas simul* in exilium, quæ conscientia rationem habentes, ne jugo pontificio saucio pectore denuo succollarent, pro religione ædes & bona omnia ceu fumi umbram abjecerunt. Imò quid dicam? Ne quid desit furori, metu exilii, mortis, amittendarumq; facultatum resiliens, *vera doctrina abjuratio* fuit imperata, quâ testabantur, se à catholicâ Ecclesiâ suâ gravissimâ culpâ defecisse; & contrâ assererent, se omnem errorem Lutherianum deinceps abominaturos, & catholicæ Ecclesiæ constanter adhaesuros. *Beatus Lutherus* Juramenti formulam tom. 6. Jenensi recitat, affirmans, hac in re *Ducem Georgium Tyrannem* omnibus etiam Pharaoni palmam præripuisse, cum dominium in conscientias sibi arrogaverit. Longè aliter rem putavit maximus Maximilianus. 2. quando statuit; *Reges, qui conscientias mortalium imperare velint, cœli arcem invadere, & terræ potestatem plerumq; perdere.* Verè & graviter

Sleidan. l. 9.  
p. 132.

Luth. Tom. 6.  
Jenensi Germ.  
fol. II.

Tom. 6. Jen.  
p. 5.

Chron. Chy.  
anno 1532.  
p. 132.



viter dixisti Imperator laudatissime. Nihil certè tam impa-  
riense est dominationis, tam sua spontis, quàm religio,  
quæ sola non imperatur, sed ex perceptâ veritatis opinio-  
ne accedente supernâ gratiâ mentibus instillatur. Quidve  
hâc immanitate vel Britannus, vel Germanus, vel Gallus,  
vel Hispanus profecerit, in pro patulo est, & *Ambrosius* du-  
dum exposuit, inveniens. *Videte magnanimos; per injurias,  
per inopiam, per incendia, per clades, per supplicia nos crevimus.*  
Proh! nondum satis est. Eas concinnare molitiones  
*princeps senecio*, ut post mortem eorum sinceræ Religio-  
nis exterminium sollicitè promoveret, & totam *Misniam*  
eum nostra *Lipsia* libidini *Meretricis illius magnæ*, quæ in  
fronte scriptû habet nomen: *Mysteriû iniquitatis*, æternûm  
devoveret. Fata nûmquid moriens, quos in continuatione  
certaminis & persecutionis alios *Nomen æternum* vitales  
esse non sinebat, decrevit regionem universam cum in-  
genti thesauro *Austriacis* testamento legare, nî frater *Hein-*  
*ricus* Lutherana hæresi (hoc enim elogio mactabat do-  
ctrinam sinceram) renuntiaret. Id quod hortatu Nobili-  
tatis & statuum, quorum consensum prius explorabat,  
per Legatos fratri significaverat. Hi cum variis argumen-  
torum illecebris principis piensissimi mentem inescare  
& irretire pertentassent, masculum hoc responsum ex  
historia CHRISTI à Diabolo tentatitulerunt: *Sane ve-*  
*stra hæc legatio planè mihi representavit illud, de quo proditum*  
*est in sacris literis, cum Satanas Christo polliceretur totius mundi*  
*regna, modo procumbens ad pedes ipsum adoraret. An vero tanti*  
*apud me putatis illius opes, ut earum cuius à, à veritate agnitâ defi-*  
*stere velim? Multum certè vos expectatio vestra fallit.*

Sed quis cladem illorum temporum fando satis

Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem?

Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem? B 3 Verè

1. 7. 27. 129

1. 7. 27. 129

104. 104. 104

Sleidan, 1. 12.

p. 319.

Fabric. Sax.

Illustrat. lib. 9.

fol. 93.

Dress. Millen.

6. parte 2. p.

452. 453.

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

104. 104. 104

20 417





Verè Deus durum exhibuit populo suo, ut piæ mentes  
cum Davide ingeminaverint: *Quare Deus reiicis in æter-*  
*num, sumare pergis irâ tuâ in gregem pastus tui? Recordare cætus*  
*tui, te acquisivisse antea, & vendicâsse tribum possessionis tuæ.*

*Psalm. 74. v. 1. & 2.*  
*Psalm. 13. v. 2. & 3.*  
*Quousq; JEHOVA oblivisceris nostri in æternum? Quousq;*  
*abscondes faciem tuam à nobis? Quousq; reposituri sumus consilia*  
*in animo nostro, mœrorem in corde nostro de die? Quousq; attollet*  
*se inimicus noster contra nos? Verùm quiescite, quiescite piæ*  
*animæ; Deus vestri minimè oblitus est. En nova pentecosta-*  
*lia! Spiritui sancto commoda visa fuit Pentecoste, festum il-*  
*lud magnificum & gloriosum, quo pluviam tempesti-*  
*vam salutis in Ecclesiæ nostræ gremium destillaret, mœ-*  
*stisq; mœrorem solveret. Hoc est quod dudum gemebun-*  
*da columba Ecclesia nostra calidis votis optavit: Emitte, Do-*  
*mine, Spiritum tuum & creabuntur. Ecce retrò seculo emisit*  
*clementissimus Pater spiritum suum, & nova facta sunt o-*  
*mnia, boreas persecutionum sedatus est, pectora tristissi-*  
*ma recreata sunt, facies Ecclesiæ renovata fuit. ipso pente-*  
*costes die Anno supra millesimum quingentesimum trigesimo nono*  
*Lipsia facta est instar alterius Hierosolymæ in terra Mysorû, in quâ*  
*lux evangelica à pœtificiis tenebris vindicata caput primitus extu-*  
*lit, ut inde in omnes cæteras Misnia partes feliciter effulgeret.*

*2. Pars collas-*  
*eionis quoad*  
*Principem au-*  
*tozem nobilif-*  
*simum.*

Agite, videamus principem hunc autorem utriusq; &  
nostræ & novæ illius primæ salutis ac lætitiæ pentecosta-  
lis, quomodo gloriosum se hodie utrinque exhibuerit.  
Dum ita fremere & frendere adversus mundi Salvato-  
rem & Apostolos hostes Ecclesiæ Judæi, de cœlo repente  
fit sonitus tanquam flatus vehementis, qui totam domū  
ubi erant sedentes, replet & inflat. *Superna gratia & Spiri-*  
*tus sancti presentis symbolum ventus erat vehementissimus. Ex-*  
*pendite rem distinctius & penitus. Repentinus erat hic fla-*  
*tus, & hostibus JESU insperatus, ut ostenderet Dei erga*  
*pios*



pios misericordiam non tardare, sicut adversus impios vindicta non cessat. *Robustissimus & vehemens erat hic flatus.* Montes enim & muri Diabolorum, Tyrannorum & persecutorum erant demoliendi. *Supernus erat ventus*, ut indicaret Evangelii cursum non humanæ virtutis, sed divinæ gratiæ & Spiritus S. opus esse, quod non nisi cœlestis auræ gratiâ inchoatur, promovetur, perficitur. *Penetrans ventus* erat, ad excitandum mentem humanam ad veritatis ardorem, cor ad recipiendos motus novos, manus ad benè operandum, pedes ad ritè in cœli semitâ progrediendum.

Quid vobis videtur, *auditores honoratissimi*? Annon similis ventus spiravit in Repurgatione nostrâ nominatissimâ? Nullum profectò dubium obstat. *Subitaneus & vehementissimus* de cœlo exurgebat flatus die septimo decimo Aprilis Anno supra millesimum & quingentesimum trigesimo nono, qui montem præaltum (Huic sacra pagina Principes & Reges terræ conferre solet) spiritualis Babylonis propugnaculum fortissimum, *Ducem Saxonie Georgium Illustrissimum*, Principem aliàs in gubernatione politicâ laudatissimum, & à subditis instar Homericæ Ulyssis pro patre leni & benigno habitum, colicis torminibus vehementissimis, antequam re infecta Legati Fribergâ redirent, & Testamentum consensu Statuum ac sigillo à Cancellario D. Pistorio roboraretur, sternit & planè cōcutit. *Imò aura hæc inopina & repentina in mortis articulo cor Principis illustrissimi adhuc afflat, & velociter permeat.* Plebanus Dresdensis Petrus Isenbergius agentem animam Apostolum Jacobum tutelarem suum, aliq; diversos sanctos auxiliares invocare jubent: Protinus autem Medicus aulicus D. Rothius ipsi acclamat; *Celsitudo vestra in politicis causis semper usa fuit hoc proverbio: Rectè sine ambagibus*

pro- p. 296.

vide Ierem. 53  
v. 25.  
Mich. 6. v. 2.  
Pl. 67. v. 53  
Dress. Millen.  
sexto parte 2.  
p. 451.  
Fabr. in Orig.  
Saxon. p. 877.  
878. lib. 7.  
Simon Pistori  
in literis ad  
Georg. Fabr.  
ibid. p. 884.  
Fabric. cit. l.  
p. 878.  
D. S. Pift. c. 1.  
Chemnit. part.  
3. Conc. Trid.  
pag. 614. edit.  
Francof. in fo.  
in octavo verò  
p. 296.

20 4.17





In Arbore Fa-  
mil. Illustris.  
Saxon. p. 210.  
vid. etiam Dn.  
D. Hein. Hopf-  
nerum in pref.  
Evangelicæ Sa-  
xonix G. 2.

Dresser. c. 1.  
p. 452.

Es. 8. v. 10.

Psal. 2. v. 4.  
Psal. 68. v. 2.  
3. 4.

Paulus I. Cor.  
10. v. 13.

Petr. 2. Epist.  
c. 2. v. 9.

progredi est in certamine via compendiosissima. Quare in hac peri-  
culosissima via, & ultimo agone potius rectâ invocatione suâ ad  
Christum confugiat. Atq; in hac dulcissimi Jesu Christi in-  
vocatione Ducem exspirasse Laurentius Faustus clarè te-  
statur. Hinc spes papistica decollat omnis. Hic celestis ventus  
eventum consilium de bello, ad quod nervi ab hoc duce  
expectabantur Lutheranis per Henricum Ducem Brun-  
svicensem sub Pentecosten inferendo Francofurti ad  
Mœnum agitarum dissipat, adeò ut blasphemâ & effre-  
natâ voce Dux Brunsvicensis dolorem & indignationem  
ostendit vociferans; Malle se Deum potius quàm Georgium,  
Ducem de mortuum. O effatum verè diabolicum & blasphe-  
mum! Contrâ verò ô statum hunc verè divinum! Ita im-  
pletum est illud Esaiæ: Inite consilium, & irritum fiet, loqui-  
mini verbum, & non existet. Nam nobiscum est Immanuel. Is  
qui habitat in caelis irrisit eos, & Dominus subsannavit eos. Ita  
surgente Deo dispergantur inimici ejus, & fugiunt infestiosores e-  
jus à conspectu ipsius. Sicut propellitur fumus, propellis eos; sicut  
cera liquecit ab igne, pereunt improbi à conspectu Dei. Justi verò  
latantes exultant & gaudent in laticia sua. Nempe fidelis est Deus,  
qui non sinit tentari, miseros ultra vires, sed prastat unâ cum ten-  
tatione in baculo & eventum ut sufferre possint. Et manet illud  
Petrinum: Novit Dominus suos è tentatione eripere.  
Gaude anima mea, dextra Jehovæ hoc fecit, & manus  
Domini hoc operata est. E secretioribus coeli desuper  
pentecostalis Favonius suâ gratiâ Lipsiam nostram centum  
abhinc annis hodierno die adspiravit. Dum namq; jure  
hereditario ad Principem pientissimum & supra omnem  
laudem positum, Ducem illum verè constantem (quo E-  
logio pectus suavissimum B. Lutherus extulit) Henricum  
& Regio amplissima Misnica, & thesaurus opulentissi-  
mus



mus prorsus in speratò devolvitur, prout ab homine vaticinante ante multos annos prædictum fuit, en Spiritus S. cor devotum penetravit, atq; ita penetravit, ut & in oris hisce Misnicis & ante omnia in hac urbe veræ Ecclesiæ gremium pararet, & absq; mora Repurgationis opus aggrediretur. Putabat Ipsius Celsitudo, & sibi dictum esse: *Attollite vos porta capita vestra, & elevamini porta mundi, ut introeat Rex gloria.* Quodq; ab *Asa* (1. Reg. 15. 2. Chron. 15.) *Ezechia* (2. Chronic. 29.) *Josia* (2. Chronic. 34.) quorum normam secuti sunt postea *Constantinus M.*, *Marcianus*, *Theodosius*, *Carolus M.*, *Augusti sacratissimi*, olim factitatum meminerat, & sibi incumbere, ac potissimam suæ gubernationis curam esse rebatur. Hinc *Joachimus Camerarius* in libello de vita Philippi Melanchthonis scribit: *Ducem Heinrichum Illustrissimo Principe Georgio Saxonie Duce mortuo, & totius Regionis gubernatione ad ipsum devolutâ, statim de constituendis Ecclesiis & Academiâ (nostram intelligit) ad Martinum Lutherum & Philippum retulisse, ac priorem statum mutari quamprimum cupivisse.* Verè hæc est Principis cura potissima, quam sacer favonius instillavit, à quo ceu primo mobili hoc secundum mobile hanc agendi virtutem indeptum est. Sed pergendum est! *Audivistis ventum Pentecostalem Reformantem: percipite nunc paucis lingvas ardentes tanquam Repurgationis organon & medium, quod hoc symbolo sacer & celestis ille ignis representavit.* Meministis è *Propheta Ezechiele Viro lineis induto coelitus dictum esse, ingredi in medio rotarum, quæ sunt subtus cherubim & imple manum tuam prunis ignis, & effunde super civitatem.* *Christus, vos mei, est vir ille, cujus indumentum humanitas, & cui dictum est; ingredi in medio rotarum in comitatu angelico coelum, & supra coelum & cherubim ad Dei dextram sede, & hinc effunde prunas ignis, Spiritus sancti charismata super civitatem sanctam.*

Ioach. Camer.  
in vita Philip.  
Melan. p. 184.

Ps. 24. v. 7.

p. 184.

3. Pars similitudinis est organon repurgationis utrobique; convenientissimum,  
Ezech. 10. v. 2.

Ps. 68. v. 18, 19  
Ps. 110. v. 1.

C

Vidit

20

4

1





Vidit dies hodiernus complementum, quo Spiritus S. supra Apostolos effusus linguas ipsorum inflammavit, ut dissectæ & ignitæ prominuerint. *Figurabat hoc visum augustum planè officii Apostolici & sacrosancti Ministerii Organon conversionisq; gentium medium.* Verbo non ferro, stylo non pilo, loquendo non præliando (audiat hoc factio JESUITICA, laqueos, enses, ignem, bombardas in conversionis medium ostentans!) Regnum JESU propagandum esse manifestò ostendebat. Clamor & vociferatio Israëliitarum muros Jerichûs funditus dejiciebat. Vox Evangelii est ille clamor, quo Spiritus S. mundi hujus Jericho adoritur, & ignorantia atq; impietatis muros expugnat & prosternit. *Visæ autem sunt linguæ quoq; dispersitæ ad πικρυλωφίαν & labii varietatem ac eloquentiam stupendam depingendam. Visæ tandem sunt ignitæ, ad potentiam & efficaciam puritatemq; verbi designandam.* Revolvite annales, *Auditores præclarissimi,* & explorete modum & medium, quo Restaurationis spiritualis opus in hac urbe peractum sit? Invenietis Spiritum S. & hîc non manuum, sed linguarum operam usurpasse; animadvertetis non ense, nec tormentis bellicis, aut effusione cruoris, sed linguæ gladio, sed verborum fulgure & humanæ vocis machinis Bestiam Romano-papisticam debellasse & expugnasse. *Medium hoc lingua fuit Magni Lutheri: Vox fuit insignis Theologi D. Justi Jonæ: Vox fuit D. Caspari Crucigeri: Vox fuit Frederici Myconii, & Johannis Pseffingeri.* Deum bonum, quibus & quantis charismati mentem & linguam sacer ignis his Ecclesiæ primæ magnitudinis stellis irradiavit. His non tantum post illustratam mentem linguas dissectas & labia tam orientalia quàm occidentalia, fandiq; copiam divinam; sed & linguas flammeas, quibus oraculorum divinorum purissimum jubar, & cœlica dogmata, ceu laminas



minas ardentis ejaculati sunt, divinitus & ex alto concessit. Quos inter *Lutherus* tanquam præcipuus *Rena-*  
*scantis Ecclesiæ Doctor & Propheta Germaniæ*, tertius ille *Helias & Anti-christicida* selectus chorum duxit. Omnia in eo fuerunt peculiaria & supra sortem humanam; *Excellentis sapientia, mirabilis prudentia, stupenda facundia, infracta Constantia, heroica παρρησία* adeo ut *Michaël Neander* vir solidæ eruditionis non dubitaverit de eo prædicare, quod *Paulo Apostolo* οὐκ ἔστιν ἑστὶν ἄλλο τὸν ἄνθρωπον (excepto *θεοπνευστίας* dono) par fuerit doctrinâ, sapientiâ & donis; sed & perspicuitate & facilitate dictorum, concionum, expositionis scripturæ & cælestis eloquentiæ ipso ferè major. De quo Poëta cecinit:

*Christus habet primas, habeas tibi, Paule, secundas,  
Ast loca post illos proxima Luther habet.*

In vulgus notum est triumphale carmen, quod *Theodorus Beza* ei cecinit:

*Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,  
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.*

*Quantum isto major LUTHERUS, major & illâ,  
Istum illamq, uno qui domuit calamo?*

*I nunc Alciden memorato Gracia mendax,*

*LUTHERI ad calamum ferrea clava nihil.*

Hunc *Justus Jonas* secutus est, Theologus nominatissimus, quem *Pentecostalis ignis* adeo disertum reddidit, ut non tantum *Ecclesiæ Witebergensis*, sed & *Halen-*  
*sis moderatorem*, & deinde *Eisfeldensis & Franciæ in Ducatu Coburgico Ephorum* constituerit. Quis tam inscius ac rerum omnium ignarus, cui non dictus sit *D. Casparus Cruciger* Patriâ *Lipsiensis*, alter ille *Lutherus*, teste *Wellero*, qui rectius tricolor, quam *Quintus Ennius*, græcè & latinè loquens dici merebatur, quod *Latina, Græ-*

In Pref. Erot.  
Lingv. Græc.

In libr. qui in-  
scribitur: Ima-  
gines illustriū  
virorum,

Agel. 1. 17. c.  
17.



Matthes. conc.  
13. de vita Lu-  
theri.

Dress. Millen.  
6. p. 201.  
In lit. ad Geor-  
gium Fabric.

ca, & Hebræa cum Chaldæa svada intimam in ipso se-  
dem fixerit, adeo ut Lutherum in vertendis Bibliis miri-  
ficè adjuverit, Vultis, percipite insigne tanti Viri elo-  
gium, quod Philippus ipsi tribuit; *Fuit in Crucigero, in-  
quit, vis ingenii tanta, quantam nescio an in alio animadverte-  
rim. Tot linguas norat & omnes Philosophiæ partes didicerat, &  
erat Judicii dexteritas summa. Talis vir in vera synodo Ecclesiæ  
de precipuis controversiis dicere sententias potuisset & debuisset.*

Dress. Mill. 6.  
p. 218.

Qvis est, cui quoque non ex monumentis constet *Fri-  
derici Myconii* Gotanæ Ecclesiæ in Thuringia Pastoris me-  
ritissimi, in cathedra Theologica melleum eloquium?  
Qvis est, qui ignoret, *Johannis Pseffingeri*, postea Theolo-  
giæ Doctoris, & primi Dioceseos Lipsiensis Superinten-  
dentis concionandi lepores, aculeosq; gravissimos, & li-  
teratæ senectutis plenissimos, quos in animis auditorum  
reliquit? *Quibus adjunctus fuit consiliorum causâ Philip-  
pus Melancthon* Vir in omni doctrinarum genere supra  
quam credibile est, excellens, vir summi ingenii, & ad  
scholasticorum barbariem profligandam artesq; ac disci-  
plinas suo nitore restituendas quasi natus, quem *Erasmus*  
*tribus speciosis cumulat encomiis, insigni scilicet eruditione, rarâ*  
*eloquentiâ, & fatali quadam gratia. Animadvertitis, Auditores*  
*faventissimi, & nostræ Pentecostes Evangelico-Lutheranæ ante*  
*seculum linguas dissectas & sacro igni accensas. Sicut enim bel-  
li Dux pugnat ferro, sic Spiritus S. voce utitur. Ille gla-  
diis, hic verbis; Ille manu, hic linguâ; Ille tormentis, hic*  
*argumentis; Ille in acie, hic in concione; Prostermit ille*  
*corpora, hic pectora; Evertit ille arces, hic mentes expu-  
gnat; Vincit ille certando, hic loquendo. Linguâ, linguâ*  
*Spiritus Sanctus docet, delectat & permovet. Itaq; pe-  
culiariter Summo Ministerii Præsidi & Reformatori placuit, o-  
mnes hos Theologos Saxonicos per *Heinricum Principem**  
lau-

Sleid. libr. 17.  
p. 344.



laudatissimum, & velut alterum Josaphatum, annuente Serenissimo Electore Saxoniae *Johanne Friderico Constante*, ut Pentecostes festo anni saepius laudati primordia orthodoxias promulgarent, accersere & advocare. Quae in re etiam & Dei gloria, & civitatis nostrae salute permoti Deo Spiritui S. Repurgationis auctori gloriosissimo, Principi laudatissimo, Ecclesiae & Academiae inclytae, totiq; Urbi spectatissimae suam pro virili operam destinaverunt.

*Tempus est, ut ad actum ipsum & solennem utrobique verbi Dei praedicationem, ne vestra patientia abuti diutius videar, progrediar. Ubi vivida flamma Patris, Natiq; effusa supernè Christi praeconium ora ita resolverat, statim variis linguis locuti sunt & τὸ θεῶν μεγαλεῖα seu magnalia & secreta efficacissime edisseruerunt.* Stupendum profecto miraculum! Qui linguam praeter vernaculam calluerunt nullam, subito totius mundi linguas exactissime tenent, Audivisses hinc hebraeam sanctissimam, graecam sapientissimam, Romanam potentissimam, chaldaeam gravissimam, syram praclarissimam, Arabicam uberrimam, Aegyptiacam clarissimam, Persicam penetrantissimam. Audivisses eos ad varias gentes Mysteria & secreta Dei oracula de regno caelorum per fidem in solum *JESUM* crucifixum mortuum & resuscitatum recumbentem obtinendo testata facere. Percepisses hinc gloriosa ac *δεδοξαμένα* illa, quae in civitate Dei decantanda Psalmographus promittit. Jucundissimum & tremendum simul atq; augustissimum hoc procul omnino dubio fuit spectaculum! Idem ferme me Christe, & hodie, qui dies id temporis fuit 25. Maji, ante seculum hinc Lipsiae contigit. Non equidem linguis variis sermones habere, ad populum: Has enim ignorabat: loqui tamen potuissent, si è re fuisset auditorum. Facultas non deerat & voluntas, aliud discipulorum poscebat utilitas, Interim in

C 3

hanc

4. Pars synecris  
seos continet  
Actum ipsum  
solennissimum.

Psalm, 87. v. 5.





D. Heshuf, in  
confess. de pers  
sonali duarum  
Naturarum in  
Christo Unio-  
ne Ann. 1585.  
publicata,

hanc Academiam, ut mox dicetur & orientale & occi-  
dentale labium purum introducere. Interim verè Lin-  
gvis locutus est Lutherus, dum labore immenso, felici-  
tate stupendâ, fidelitate admirandâ sacrosancta oracula  
ex Hebræo, Chaldæo, & Græco idiomate in germanicam  
tam ornate, tam perspicuè transfusa, ut plerisq; in locis  
integri commentarii vices sustineant, Ecclesiæ huic nos-  
stræ quoq; in quâ sacrorum pars maxima lingvâ peregrinâ  
hactenus peragebatur, commendavit. Variis quidem  
lingvis Biblia sacrosancta reddita sunt; verum si versio-  
nes omnes (addit D. Heshusius etiam Commentarios om-  
nes) in unam massam conflarentur, cum Bibliis Ger-  
manicis auspiciis Lutheri adornatis conferri nullatenus  
possunt. Testimonii loco *Johannis Sturmii* judicium, quod  
instar omnium esse potest, subjicio. Sic ille ad Philip-  
pum Comitem Lippianum de Exercitationibus Rhetor-  
icis inter alia scribit: *Si nulla conciones ejus (Lutheri) exti-  
tissent, si nihil scripsisset aliud; quàm ea quæ in V. & N. Testamen-  
to translata divulgavit: tamen summa ejus, & perpetua in hoc la-  
bore deberet extare gloria. Si enim hujus germanicæ translationi  
cetera Græcorum, Latinorum, aliorumq; comparentur: cadere co-  
gentur perspicuitate, puritate, proprietate, similitudine Hebraicæ  
originis. Credo ut Apellem nemo legitur pictorum superasse; Ita,  
ne scriptorum quidem quispiam Lutheri conversionem poterit  
vincere.* Hactenus Sturmius! O te beatam Lipsiam, cui  
per vas electum omnium bonorum Auctor in maternâ  
lingvâ semitam illam, quæ rectâ ad astra ducit, clarè mon-  
stravit.

O nos felices! ô terq; quaterq; beatos!

Qui nostrâ in lingvâ, jam quimus dia Jehovæ

Oracla & lustrare & vestigare legendo!

Qui longè melius nostris majoribus illum

Cal-



Callemus callem, coeli qui ducit in aulam!  
Præterea vocem suam instat tubæ exaltârunt tubicines  
isti Evangelici dicto tempore,

Qvo sacra divini celebratur missio Flatus,  
& hîc quoq; Dei magnalia ebuccinârunt. Præparatoria  
& Festum Jubilæo-Christianum indicens tuba fuit *B. Lu-  
therus*, qui pridie Pentecostes coram Electore Saxonico,  
*Domino Johanne Friderico, & Principe Heinrico*, aliisq; innu-  
meris in arce ad Plisnam *de pura verbi prædicatione, seu vera  
vera Ecclesiæ nota* ex priore parte pericopes Evangelicæ  
Pentecostalis verba fecit. Mox primâ feriâ, quæ *Spiritui S.*  
sacra est, altera tuba Evangelica à *Spiritu S.* egregiè inflata,  
*Dn. D. Justus Jonas* in templo vel Nicolaitano vel Thoma-  
no (alii enim aliter sentiunt) horis antemeridianis ex con-  
sveto textu Evangelico vocem elevavit. Hinc alterâ vice  
*Megalander Lutherus de Spiritûs S. effusione*, adventu & effica-  
ciâ admirando eloquio ex tmemate secundo Actorum  
Apostolicorum prædictam animavit cathedram, adeò  
quidem, ut eeu tertius Helias lingvâ suâ interloquendum  
veluti in flammâ abiret, pectora tranaret, & fide & pieta-  
tis devotione auditores ardentis redderet. Hos deinceps  
*D. Cruciger, Myconius, & Pseffingerus* ordine suo tempore  
secuti sunt. His finitis Deo persolvebantur laudum sa-  
crificia, canebantur hymni Eucharistici & Pentecostales  
in Spiritus sancti summi Repurgatoris & sacre Triados  
gloriam. Ipse princeps laudatissimus *Heinricus* ex potesta-  
te externâ & *νομοθετην* circa res Ecclesiasticas per deputa-  
tos Theologos aliosq; Commissarios cultum & Ministe-  
rium Romano-Papisticum novis deinceps orthodoxis  
substitutis verbi Doctoribus, interdicens abrogabat.

Ita ergò, ubi Pontificii in Paschate adhuc Antichristi Magni nugas  
vendiderunt, & blasphemias eructârunt, ibi Lutherus & alii in

Dress. Millen,  
6. p. 454.  
Calv. in chros  
Festo nol. p. 956.



Festo Pentecostes in suggestis stabant, & gloriosa de vera fide in Christum Jesum unicum & solum nostrum Mediatorem ac Redemptorem eloquebantur. Ita verbo divino majestas, Ecclesia libertas, conscientia tranquillitas, peccatoribus Salvator, Salvatori deus & gloria, ac gemebundis animabus caelum & vita aeterna reducebatur. Sic populus haecenus in tenebris positus vidit Lucem magnam, & positus in umbra & regione mortis lux exorta est.

Es. 9, 1, 2.

Hæc facta sunt in Ecclesia! *Auscultate nunc magnalia, alma nostra matri Academia communicata.* Seminarium est, & plantarium veræ Ecclesiæ Schola publica, quam utramque Deus junctas jussit habere domos. Ne igitur de novo è lacunis Scholastico-papisticis venenum propina-

Dn. D. Heint.  
Hopfn. in Or.  
parent. D. Pof.  
lyc. Lyseri.  
Lit. B. 4.


retur Dei coetui, mox quoque, nondum trimestri elapso, die 12. Augusti ejusdem anni, autoritate Serenissimi & pientissimi Patroni Ducis Heinrichi, in consilium adhibitis ex supranominatis Theologis imprimis S. Luthero & Philippo illo purioris literaturæ in germania Phoenice & Phostere, per certos Commissarios, Justum Jonam, Casparum Crucigerum, & Fridericum Myconium, Rectore Magnifico, M. Christiano Pistorio Westerbουργensi à sordibus superiorum temporum, & ipsum hoc Lycæum repurgabatur, novâque ac veluti

Luth. Tom. I.  
Lat. Ienensi in  
Resolutionibus  
super Propositionibus  
Lipsi.  
disputatis. p.  
303. b.

virginæ facie illustrabatur. Occupaverat haecenus cathedras publicas & auditoria Theologia scholastica, quam Lutherus ita depingit; *Quid alii in Theologia scholastica didicerint ipsi viderint.* Ego scio & confiteor, me aliud nihil didicisse quàm ignorantiam peccati, justitiæ, baptismi, & totius Christianæ vitæ, nec quid virtus Dei, opus Dei, gratia Dei, justitia Dei, fides, spes, charitas sit. Breviter: non solum nihil didici, sed & non nisi dediscenda didici, omninò contraria divinis literis. Ego Christum amiseram, nunc in Paulo reperi. Explosa igitur fuit hircissans illa Magistrorum nostrorum Sophistica & Scholastica Doctrina, quæ regnum in Theologia occupaverat,

EX-







ECC  
L  
O R  
IN JUB  
In DE  
norem, inq  
regno Pont  
qui 25 M

L. AN  
Apud H



IPSIENSIS  
elica;  
E C V =  
Æ ET ACA-  
SIS  
dem & ho-  
sq; liberationis e  
o die Pentecostes,  
ibidem purioris  
EMICO,  
ii,  
SS. Theol.  
ste ad  
CHEIBIUM.  
IUM.

19 4,17

20 4,17

m.c

